

**Oratio comitiis anniversariis Harveianae memoriae sacris : in amphitheatro Medicorum Londinensium habita ; postridie D. Lucae ; MDCCXXIV.**

**Contributors**

Hale, Richard, 1670-1728.

**Publication/Creation**

Londini : Impensis Guil. & Joh. Innys ..., 1725.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tesc6fqm>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

TRACT 1





Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30775747>



Ex Libris Boudillon 1757

Hale

Plumtree

Nicholls

Hawley

Reusch

Doute

Green

Prisnore

Gaubius

Ruy sch

The first of the month

1840

London

Dear Sir

I have the honor

to acknowledge

the receipt of

your letter

of the 15th

inst. in relation

to the subject

mentioned

in your letter

of the 10th

inst. and in

reply to inform

you that the

same has been

forwarded to

the proper

15

OPERA

OPERA COMICA

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO

IN UNO ATTO



O R A T I O

Comitiis Anniverfariis

Harveiana & Memoriae sacris

IN AMPHITHEATRO

Medicorum Londinensium

Habita;

POSTRIDIE D. LUCÆ; MDCCXXIV.

LONDON. MEDICAL SOCIETY OF LONDON.



L O N D I N I

Impensis GUIL. & JOH. INNYS  
*In Area Occidentali D. Pauli:*

M D C C X X V.

ORATIO

Comitibus Anniversariis


Memoriae Commemorative

IN AMPHITHEATRO

Medicorum Londinensium

Habita;

POSTERIE D. I. UCA; MDCCXXV.



LONDINI

Impensis Gul. & Jon. Izard

Ab. J. de Godefridi D. P. B. B.

MDCCXXV.

Amplissimo PRÆSIDI,  
Dignissimisque SOCIIS;

# ORATIONEM

HANC

In laudem POPULARIUM nostrorum;

QUI

REGIUM hoc COLLEGIUM  
LITERIS & BENEFICIIS ornârunt;

QUI

ARTEM MEDICAM INVENTIS utilibus,

Et eximiâ SCIENTIA illustrârunt,

D. D.

RICHARDUS HALE.

Amplissimo Praesidi

Dignissimo Sociis

# ORATIONEM

HANC

In laudem POPULARIUM doctorum

QUI

Regium hoc Collegium

LITTERIS & BENEFICIS ornant

QUI

Artem Medicam Inventis utilibus

Et eximia bonorum illustrant

D. D.

RICHARDUS HALE



X Harveii Magni instituto hodie convenimus, pro solenni more Benefactores nostros commemoraturi. Et æquum est sanè, VIRI SPECTATISSIMI, priores homines laudibus prosequi, quorum beneficiis præsentem fruimur. Hoc, est honos defunctorum; Hæc præconia mortuis benemerentibus debentur: quæ licèt nec pro meritis satis præstari, nec manes illorum delectare possint; vivis tamen posterisque hominibus profuerint aliquando, si modò vester animus adeò irritetur, ut illorum virtutes æmulemini.

ANTIQUAE Medicinæ Historiam, & Medicorum Honores non lubet exscribere. Ortum apud

B

Ægyptios

Ægyptios (si medicorum nomina ante Chironem, & Æsculapium innotuerint) & progressum ad Græcos, Romanos, Arabésque in oratione ornatissima multis lucubrationibus illustratâ jam pridem accepistis. Honoribus medicorum immorari non opus est: quandoquidem priùs dictis nihil addi potest; nisi quòd maximè mirum videatur, è tenebris fabulosæ ætatis tam clarum lumen in honorem medicinæ extolli potuisse.

RES præsens hìc agitur de NOSTRATIBUS: & si magna nomina, majora inventa, maxima munera respicere vacat, quid ultra nostrates quaerimus? Quoad munera; Vos (Ornatissimi Viri) testor, an præsens ætas non sit aureum medicinæ sæculum? Quoad inventa; par etiam gloria nostratibus accedet, cùm de inventis jam-jam differemus.

QUINAM medici inter majores nostros ante Johannem Regem emicuerint, non constat. Clari admodum authores memoriæ tradiderunt, Gilbertum

• Gilbertum Anglicum cognomento Leglæum Huberti Cantuariensis Archiepiscopi medicum, *A. D.* 1210. in curandis humanis corporibus expertissimum, sub Johanne Rege floruisse. Hujus Gilberti industriam secutus <sup>b</sup> Johannes Marfeldus à civibus Londinensibus, per ipsum nullo non morborum genere curatis, *1470.* immortalem famam accepit.

PORRO traditum est à viris fide dignis fuisse <sup>c</sup> Hugonem de Evesham ingeniosissimum per totum orbem sub Edvardi primi temporibus medicum: & <sup>d</sup> Johannem Arundellum Oxoniensem, Henrici Sexti Protomedicum; Coventriæ & *1457.* Lichfeldiæ, dein Exoniæ Episcopum: neque prætermittendos duco alios ejusdem Regis medicos haud ignobiles, <sup>e</sup> Johannem Faceby, Guilielmum Haccllyff, <sup>f</sup> Gilbertum Kemer Decanum Salisburiensem. Hugo de Evesham <sup>g</sup> Atratus adeò celebris erat, ut Phœnix vocatus fuerit. Qua-

<sup>a</sup> Bal. Part. 1. 256. P. 2. 66.

<sup>b</sup> Bal. Part. 2. 66.

<sup>c</sup> Bal. Part. 1. 338. P. 2. 154. Godwyn Part. 2. 169.

<sup>d</sup> Godwyn p. 378. 473. Angl. sacr. vol. 1. p. 777.

<sup>e</sup> Rym. Tom. XI. 347.

<sup>f</sup> Rym. Tom. XI. 366.

<sup>g</sup> Godwyn. Part. 2. p. 169.

propter

propter Martinus IV de rebus medicis con-  
sulturus Hugonem Romam accersivit; & in  
eundem ob peritiam rarásque animi dotes Ru-  
1280. brum Pileum, Æsculapiano non minùs clarum,  
contulit.

1282. PRAETEREA <sup>h</sup> Adam de Kertabricht Ro-  
berti de Brus medicus perhibetur Edvardo pri-  
mo (in cujus regno beneficia ecclesiastica pos-  
sidebat) literis commendatus esse ab Alexandro  
Regis Scotiæ primogenito; quem à gravissimo  
morbo, reliquis medicis mussantibus, liberavit.

PRAETER hos, de Johanne de Arden solo le-  
gimus; qui Johannem Rectorem, de Gandavo  
cognominatum, morbo cancroso laborantem sa-  
navit. Nullus autem medicus aderat, qui mag-  
nimum Walliæ Principem servare potuit,  
maximum nostræ gentis decus, toties Anglis  
servatis clarum; qui primus Heroum haberetur,  
nisi sacro Vate caruisset.

PROCULDUBIO Henrici Edvardique Victores  
Reges, mille pericula tum passuri, expertissimis

‡ Rymer vol. ii. p. 206.

medicis

medicis usi sunt. De his autem expertissimis fama parcè loquitur; & ferè omnes ignoti longâ nocte urgentur.

SI conjecturam facere liceat de veteri nostratium medicinâ, verisimile est hanc artem pari passu cum aliis artibus processisse. Gens impia Vandalorum artes æquè ac urbes invaserat; & aliquid rudis, Gothici aliquid, cujuscunque artis opus deformaverat. Tandem Rosa Anglica Johannis de Gadesden Mertonensis, Rosa Gallica, & Margarita pretiosa Symphoriani Champèrii, & his vetustior Schola Salernitana, in summo honore habebantur. Medentes per hæc compendia sapere, si sapere potuerint. Hippocrates & arte & facundiâ insignis, Aretæus vir nulli secundus & nullius imitator, vel manibus non versati, vel fœdè neglecti erant: & Galenus eruditus in minori fuit pretio, quàm quilibet Galeni commentator.

ARABES moderamen medicinæ per ea tempora tenuere. Hi barbari homines, præcipuè ob linguam obscuram clari, Hippocratem &

C

Galenum

Galenum notis multo obscuriores reddidere. Quàm potiùs ipse Hippocrates, & Galenus erant consulendi; qui planiùs & meliùs quolibet Arabe naturam humanam, & res medicas docent! Hosce igitur authores, nimis decantatos, prima fors est non legere, proxima oblivisci.

POSTQUAM itaque omnes literæ sub spissâ caligine diu oppressæ fuissent; exstitit vir erectioris mentis Thomas Linacrus: cujus divina indoles apud Oxonienses primò exculta fuit. At Oxonium tanti ingenii mensuram tunc temporis explere non poterat; quare ad exteras gentes literarum cupidus migravit: & quicquid ad medicam artem, seu aliquam scientiæ partem spectaret, exploravit; adeò ut clarissimis ubique viris, principibùsque in deliciis esset. Etiam apud Romam, quæ tot præclara jactitavit, nil præclarius nostro Linacro videbatur.

OMNIA inter pègrinos doctissimos limans, natale revisit solum; & eruditionem è latebris eruit omnigenam: restauravit linguas, medicam artem revocavit ad vitam; & nobis retulit,  
 quicquid

quicquid Padua, quicquid Roma sibi vendica-  
verat.

Quo autem hæc dona nobis sint magis pro-  
pria; Linacrus in commodum reipublicæ natus,  
lectiones medicas duas in academiâ Oxoniensi,  
unam in Cantabrigiensi, cum stipendiis instituit.  
Inter primos, prælectoris provinciam ornavit  
Checus celeberrimus Edvardi sexti præceptor.

LINACRUS à Musarum sedibus, Henrico sep-  
timo jubente, ad aulam vocatus, salutem re-  
giam (neque sinè gloriâ) curavit. Nil igitur  
mirum sit, tam illustrem virum, tot virtutibus  
ornatum, in maximo pretio ab Henrico octavo  
postea haberi. Rex ille munificentissimus om-  
nium artium patronus (suadente Linacro) soci-  
etatem medicorum perpetuam privilegiis, &  
honoribus, non fictis, munitam sancivit; quò  
fatiùs publica salus defendi & promoveri posset.  
Ille bellator fortis, non idem bonus rex fuisset,  
nisi populum salvum esse ab Empiricis, quàm  
perire, maluisset.

NE deesset locus, in quo memorata privilegia exercerentur, domum Linacrus suam sociis medicis in hunc usum legavit: ubi comitia sub Linacro, perpetuo præside, priùs habebantur: quotannis enim ob merita idem præses à collegis eligi solebat.

NON facile est hujus viri benefacta recensere; at pro utilitate rerum laudare haud possibile: totus in hoc erat, ut medicam gentem conderet; & dum ista gens manebit, honores Linacri durabunt.

QUIS inter medicos viros Linacro inculpato meliùs succedat, quàm Caius; per quem Linacri institutum tam bene successit; qui postquam Italas academias pariter invisisset, & prisca & quàm plurima edoctus, suam Cantabrigiam redux adornavit; intérque almæ matris fundatores paulò pòst numeratus est? In omnibus ad Linacri exemplar se formavit; & eandem rem agens, eâdem ferè fortunâ est usus: regum archiater, collegii recèns nati strenuus propugnator,

pugnator, emicuit; & omnibus collegii muneribus sæpissime functus est vir indefessus. Uterque Galeni partes elucidavit. Caius autem æquè Celsum & Scribonium Celsi coætaneum ac Galenum illustravit; etiam Galeni libros non priùs emissos edidit. Idem porrò Hippocratis *περὶ φαρμάκων*, & *περὶ ἀνατομῆς* libros emendavit. Mirum tamen videatur, neque Linacrum, neque Caium tam doctos sagacésque viros, aliquam Hippocratis partem in linguam Latinam reddidisse; ni in promptu sit respondere, Galenum his temporibus heroem fuisse medicorum. Argumenta lectionum à Linacro propositarum, & exercitiorum academicorum è Galeno desumi statutum est. Galenus more copioso morbos tractavit. Hippocrates magna concisè loquebatur. Galenus medicamentis scatebat: Hippocratis è contrà medicaminum internorum supellex adeò curta erat, ut rem ferè totam febricitantium viribus ægri committens, observator magis quàm medicus, vigil spectator magis (si fas est dicere) quàm utilis minister naturæ pluribus videretur; quamvis ipse primus ab studio sapientiæ disciplinam medicam separaverit.

D

paraverit.

*tamen ipsi  
Caius niqui  
ex versione  
nostra, Libri  
de placitis  
Hippocratis  
Vide Caium  
de Libris  
proprijs*

paraverit. Præterea Galenus fati superque de pulsibus tradidit: apud Hippocratem autem, etiam in febribus epidemicis, vix ulla pulsuum fit mentio; quorum ope morbi à se invicem, & rationes morborum dignoscuntur; licet de cibo dando plurima monuerit Hippocrates, & Asclepiades vestigia ejus secutus cibum opportunè datum optimum esse medicamentum pronunciaverit; at cum dies cibi aptissimus à diligenti observatione sit indicandus, hinc opinio invaluit, ab uno medico multos non posse curari: Doctrina ægrotis prorsus inutilis, vobis ideo minùs grata. Quâcunque causâ evenit, ita res se habuit; nullas partes Hippocratis ab hominibus nostris Latinè loqui. Græcas tamen literas Caius præcipuè excoluit; & translationes ejusque scholia demonstrant, quàm utramque linguam, quàm artem medicam calluerit. Adeò nempe calluit, ut nec Celsus, nec Cicero vivens inveniret, quod culparet. Commercialia epistolaria cum Gesnero (quem Caius præstinxit) & libellus de pronunciatione Græcæ & Latinæ linguæ, quo litem inter Gardinerum & Checum nostrates diremit; necnon annales, & quàm plurimi

plurimi alii tractatus divitem venam, & vim animi vividam testantur. Nullam literaturæ partem intactam Caius reliquit: quasi Pallas ipsa Caium manu prehensens, omnes naturæ & scientiarum vias monstrâffet. Philosophus enim eximius, historicus fidus (ni suæ Cantabrigiæ nimis indulgisset,) grammaticus eruditus, non minùs quàm medicus sagax, præcelluit. Scientiam Caii medicam regina Maria, & qui reginæ à secretioribus consiliis erant, ita venerabantur, ut Ephemeram ejus (primò Anglicè scriptam) in omnibus ecclesiis divulgari jufferint: tanquam Caii dicta, uti prolata ex tripode lauróque Phœbi, inter res sacras fuissent æstimanda.

CLARISSIMUM Caldwallum Elizabethæ medicum & baronem Lumleium præterire est iniquum: quorum insigni liberalitate, annuo scilicet symbolo quadraginta librarum, provisum est, istam medicinæ partem, quæ manu plurimum præstat, hinc sæpius in anno explicari. Hi bene gnari erant, egregii viri, res chirurgica, res anatomica, ad curationes quàm conducant.

ERUDITUS

ERUDITUS Goulstonus suam etiam meruit laudem; qui Aristotelis & Galeni quædam castigavit; qui lectionem cum honorario quotannis intrâ hæc mœnia habendam constituit; quâ structuram partium, causas & sedes morborum in conspectum dari voluit. Cadaver enim incidendum erat, ex voto Goulstoni & placito Elizabethæ: Elizabethæ divæ non crudele visum est, in salutem viventium, incidere mortuorum corpora. Hinc languentibus faciliùs succurritur: quippe causæ æstimatio sæpe morbum solvit.

INGRATORUM esset hominum dona marchionis Durnovariæ & Hameii silentio prætermittere. Beneficus Hameius collegium hoc à nebulonibus primò redemit: dein ignibus consumptum suâ munificentia partim restauravit. Supellectilem argenteam præsidi, præmia honorifica nosocomiorum medicis, munus oratori largitus est: & postremò collegas prædiorum hæredes statuit. Illustrissimus marchio juvenis adversâ valetudine usus, ad secundam Harveii curâ restitutus, artem Harveii, & artis  
magistros

magistros deinceps amavit. Hoc collegium suo fodalitio priùs ornatum pecuniis ad libros coemendos donavit vivens; moriens nostrum museum bibliothecâ selectissimâ curavit magnificè instruendum.

NON res est unius horæ omnes benefactores nominatim dare; nec dies laudibus illorum enarrandis sufficiat; qui hoc collegium doctrinâ, qui beneficiâ, qui utrâque cohonestaverunt: inter quos non mediocres viros, Harveius eminet; præter cæteros hõc die celebrandus.

PRO more Harveius Paduam adivit: medici enim notitiæ & literarum causâ olim peregrinabantur; dum artes & scientiæ inter peregrinos præcipuè florebant. Omnis autem vis migrationis evanuit, postquam Britanni homines medicam artem exercere seriò cœperunt. Et quid mirum; cùm inventa Harveii de generatione, & circuitu sanguinis; Loweri de instrumento circuitûs; Glissonii de hepate, & vasis lymphaticis, &c. Whartoni de glandulis; Needhami de formato fœtu; Willisii de cerebro, &c.

E

Crounii

Crounii de ovo, & muscolari motu? Non plura memorabo, (quò enim vos fessos raperem!) at plurima tam de anatomiâ, quàm de praxi memorare possim; cùm hæc nempe inventa minimè sint æquiparanda inter peregrinos: qui priùs reperta quasi propria frequenter sibi afferunt; qui errores suos pro veris, seu quid inane pro utili haud rarò obtrudunt. Præterea domi sapere jam licet: si spectemus Charltonum nostrum à degeneri Paduâ, ut medicinæ profectorem ibi ageret, sollicitatum; si spectemus impares illorum progressus, qui peregrinati sunt, hodièque peregrinantur; qui spectatum præfertim peregre abeunt; qui redire sæpius solent, certè non magis eruditi, nunquam aptiores medici, forsan belli homines.—Haud ita Harveius noster peregrinatus est: didicit, quodcunque ab exteris discendum fuerat; rem anatomicam ex ipsis sensibus petivit; & prælector Caldwelli & Lumleii electus anatomix peritissimus evasit.

USQUE ad Harveii tempora ars anatomica in cunabulis delituerat. Veteres enim de usu & naturâ

naturâ fluidarum solidarumque partium humani corporis parum veri (præterquam de obvio usu musculorum) tradiderunt: imò ista ars, quæ demonstrationibus facillimè fulciri potuit, præ ignaviâ fuit omnino conjecturalis. Etiam Galenus\* ἀναστομώσεις arteriarum, & venarum, angustάςque, per quas sanguis in venas ab arteriis transmittitur, vias afferens, videtur planè descripsisse circuitum τῆ περιφερομένῃ σφιδρῶς αἵματος; quem tamen nec ipse satès intellexit, neque post ipsum quisquam (ne Servetus quidem) descripsit, aut intellexit: donec Harveius ampliavisset artem, & certam viam ad naturam retegendam patefecisset. Ille rem altiùs perspiciens, cognitionem ex inspectione accuratâ, & experientiâ solummodo esse acquirendam compertum habuit. Suo igitur genio, & gratiâ Caroli primi fretus, cultróque anatomico armatus, claustra veterum confregit: ex ipso fonte, nullius

\* Gal. Charter. lib. iv. cap. 6. pag. 373. lin. 20. & lib. vi. cap. 10. pag. 431. lin. 11. & cap. 16. pag. 441. F. Ἔσ. Vox ista technica Aretæo forsan non nota, qui eandem rem pluribus vocibus descripsit; ἄλλων φλεβῶν περὶ αἰσῶσις ἢ τὸ σῶμα ζυγκέον. Aret. p. 24. Quam sic exposuit Aristoteles. τὰς φλέβας ἢ τὰς ἀρτηρίας συνάπτειν εἰς ἀλλήλας — ἢ συμβάλλειν εἰς ἓν. Aristot. du Val. Vol. 2. p. 752. & 1008.

magistri in verba juratus, haufit. Naturam enim nudam investigavit; & per omnes mæandros secutus, arcana de generatione & sanguinis circuitu explicuit victor: etiam sanguinem è corde missum per arteriarum ductus, minutissimas corporis partes irrigantem; dein per eosdem continuatos canales, venas scil. ad cor relatum, in tam clarâ locavit luce, ut frustra esset contrâ obsistere; quicquid Riolanus, Primrosius, Parisanus, &c. reclamare ausi fuerint.

OPERÆ pretium fuerit, verba modò memorata, & ex Platone desumpta fusiùs explicare.

<sup>a</sup> " Ἀμμα δὲ τῶν φλεβῶν τὴν καρδίαν καὶ πηγὴν τῆ περιφερομένης κατὰ πάντα τὰ μέλη σφοδρῶς αἵματος. —

Ex his manifestum est, usum cordis & motum sanguinis per omnes corporis partes cum impetu (*ope* \* *pulsûs*) circumfluentis Platonem cognovisse: licèt naturæ in hóc ministerio via ipsum latuerit. At Hippocrates, Aristoteles & Aretæus nil de re, nil de sanguinis fluentis,

<sup>a</sup> Plat. p. 70. l 10, &c. \* διὰ σφοδρότητος σφυγμῆ, Fæf. OEconom.

vel refluentis viâ tradiderunt. Motus sanguinis  
<sup>b</sup> ἄνω καὶ κάτω undulatus est *ens imaginationis* me-  
 rum: nam ligaturæ, quibus veteres in venæ  
 sectionibus, & hæmorrhagiis utebantur, motum  
 sanguinis circularem (περιφορὰν) comprobant,  
 qui solus esse continuus possit. Quippe, unde  
 sanguis perpetuò fluat, unde vasa perpetuò sint  
 repleta, nisi sanguis fluens pellat, dum propel-  
 litur; nisi sanguis labens, idem volubilis, ad  
 fontem relabatur? Ἄμμα Platonis idem est ac  
<sup>c</sup> εἰζωσις & <sup>d</sup> πηγὴ Hippocratis; idem ac <sup>e</sup> ἀρχὴ  
 Aretæi, seu <sup>f</sup> ἀρχὴ & <sup>f</sup> πηγὴ Aristotelis. <sup>a</sup> Plato  
 & <sup>f</sup> Aristoteles non errant cum <sup>c</sup> Hippocrate &  
<sup>b</sup> Aretæo; qui εἰζωσιν φλεβῶν εἶναι ἦπαρ affirmant.  
<sup>c</sup>, <sup>d</sup> Hippocrates, Aristoteles & <sup>e</sup> Aretæus voce  
 ἀρτηρία utuntur. Ex illis tamen nullus inter ar-  
 teriarum & venarum usum rectè distinguit:  
 quamvis <sup>h</sup> Aristoteles & <sup>i</sup> Aretæus σφυγμὸν, &  
 arterias venis crassiores, & sanguinem ex arte-  
 riis majore vi quàm è venis effluentem [αἷμα

<sup>b</sup> Aristot. du Val, Vol. 2. p. 722.      <sup>c</sup> Hippoc. vol. 1. p.  
 596.      <sup>d</sup> Ibid. p. 203. 297.      <sup>e</sup> Aret. Oxon. p. 119.  
<sup>f</sup> Aristot. vol. 2. p. 1005.      <sup>g</sup> Aret. p. 23. & p. 119.  
<sup>h</sup> Aristot. vol. 2. p. 751, 799, 1004.      <sup>i</sup> Aret. p. 14. l. 2.  
 p. 119. l. 26. p. 16. l. 26.

\* Vol. I. ἀνακοντίζον] observent. Quinetiam \* Hippocrates  
 p. 115. duas cavas à corde venas, è quibus unam arte-  
 riam nominat; & Aristoteles <sup>k</sup> cavam, venam  
 majorem; aortam, venam minorem appellat.  
 Vox φλεβῶν igitur omnibus sanguinis vasis <sup>l</sup>  
 communis est: unde legimus apud <sup>m</sup> Hippocra-  
 tem σφυγμὸν φλεβῶν, apud <sup>n</sup> Celsum, *venas se  
 modò submittentes, modò attollentes*; apud <sup>o</sup> Lu-  
 cretium,

*Cibus in venas dum diditur omnes.*

DE his rebus <sup>p</sup> Democriti expertissimi, divi-  
 nique Empedoclis observationes fors invida no-  
 bis denegavit. Attamen Homerus <sup>q</sup> vim cor-  
 dis & usum sanguinis, viscera, <sup>r</sup> venam cavam,  
 musculos, ossa, & <sup>s</sup> permulta de humani cor-

<sup>k</sup> Aristot. vol. 2. p. 798, 800, 1007. <sup>l</sup> Ibid. p. 982.  
 vide k. <sup>m</sup> Hippoc. vol. I. p. 533, 749. <sup>n</sup> Celf.  
 Almelov. p. 6, & 129. <sup>o</sup> Lucret. l. 3. v. 473. & l. 4.  
 v. 955. <sup>p</sup> Aristot. vol. 2. p. 1004.

<sup>q</sup> 'Ιλ. v. v. 442. — δόρυ δ' ἐν καρδίῃ ἐπεπήγει,  
<sup>r</sup> Ἡ ῥά οἱ ἀπαίρεσσα ἢ ἐξίαχον πελέμιξεν  
<sup>s</sup> Ἐλχε

& v. 282. Ἐν ᾗ τέ οἱ καρδίῃ μεγάλα σέρνοισι παλάσσει.

<sup>t</sup> Ibid. v. 549. — ἀπὸ ᾗ φλέβα πᾶσαν ἔκερσεν,  
<sup>u</sup> Ἡ τ' ἀνά νῶτα θέρσσει διαμπερὲς αὐχέν' ἰκάνει.

<sup>v</sup> 'Ιλ. ε. ῥ. 66, 79, Ἔκ. θ. 325, Ἔκ. ξ. 465, 493, Ἔκ. & plu-  
 rima alia in 'Ιλ. ε. v. v. Ἔκ.

poris

poris compage, uti artifex, notavit. Qui autem hæcce obiter innuit, qualia & quanta ex professo, naturæ optimus interpres, exponere potuisset?

OMNES profectus in salutari professione à reperto circuitu ortum trahunt. Hinc errores plurimi deteguntur, phænomena aliter non solvenda exponuntur; & quod maximi est momenti, hinc pulsus fit minùs fallax; unde res diagnostica, & prognostica fit certior. Hinc porò morborum causæ ad numerum breviorum rediguntur. Ita enim hoc quod fumus machinæ à naturâ constituitur, ut eadem causa quemlibet ferè morbum excitare possit. Quandoquidem massa sanguinea per omnes corporis partes itus reditúsque absolvit, quamvis partem afficere potest: & pro texturâ, motúque sanguinis, & pro fabricâ, præsentique statu partium omnes morbi nascuntur; quos diversis nominibus à sede designamus. Qui aliter proponunt, non de re, sed de verbo controversiam movent. Parum enim interest, an membranæ cerebri seu pulmonum &c. inflammentur, an musculi

musculi capitis vel artuum &c. convulsionibus tententur, an glandulæ hepatis vel uteri &c. obstruantur; cùm eadem sit crasis sanguinis in omnibus inflammationibus, (ejusdem scil. tempestatis) eadem inordinatio spirituum in motibus convulsivis, & haud dissimilis causa quarumlibet obstructionum. Hæmorrhoides, vel humores quicumque suppressi febrem accendere, vel cujuslibet visceris glandulas obstruere poterunt: sputum sanguinis fuisset mictus sanguineus, vel apoplexia, seu fluxus dysentericus: & causa phthisios aliis internis vel externis glandulis insedisset, ni tonus fibrarum pulmonarium imbecillior humori impellenti cederet: & rarò quisquam non aliquam partem corporis imbecillem habet.

AB hõc demum invento liquet methodum medendi faciliorem fieri, & auxilia pauciora esse necessaria ad sanitatem restituendam: cùm præparantium & specificorum farrago tam tutò quàm jucundè rejiciatur; cùm evacuantia, & alterantia pariter fiant cephalica, & stomachica, hepatica, & uterina &c. Quodvis enim  
medica-

medicamentum massæ sanguinæ commixtum in omnes partes diditur: quapropter omnes levare poterit. Non per devias, sed tritas vias vasorum fluunt morbi, fluuntque remedia; quæ in sinu sanguinis natantia texturam ejus, naturalem scil. statum floris, tonumque solidarum partium redintegrare solent.

ARTEM chirurgicam non minùs, quàm medicam à doctrinâ Harveianâ maximè promoveri, vel tyronibus notum est, & quotidiano usu fœliciter comprobatum.

SUPERVACUUM esset (Viri doctissimi) hæc pauca de re magnâ dixisse; si praxin circuitûs hypothesei consentaneam edidisset Harveius: de quo subjecto, & quàm plurimis ad res medicas spectantibus commentarios in publicum emittere decreverat; & certè quidem perfecisset, ni lethum (quod solum potuit) senem hæcce meditantem domuisset.

QUANTA nobis beneficia, quanta humano generi contulerit Harveius, satis patet; cùm

G

muni-

munificentiam ejus in memoriam revocemus, quâ nos hæredes ex asse vivus scripsit: cùm eruditionem singularem contemplemur; cujus ope fit, quòd non laboris tantum medicis, non malorum tantum ægrotantibus restet transire. Humana fors nos fragiles, Harveius minùs caducos, fecit. Tandem debemur morti nos & nostra: neque enim, ne vis quidem Radcliffii effugit mortem, nec vestra ars (Viri expertissimi) instantem avertet.

BENEFACTORIBUS defunctis (prout licuit) parentavimus. At haud parum honoris vobis vivis benefactoribus debetur. Cùm enim fortuna collegii hujus nuper hæreret, & autoritas sperneretur, ob lites inter primos medicorum; vos, quasi Linacri genio afflati, rem publicam nostram composuistis, & celebritatem pristinam renovâstis. Has ædes ornare, disciplinam & dignitatem restituere, privilegia stabilire, & potestates amplificare, vester erat sumptus, vester erat labor.

PRÆTER

PRÆTER hæc præclara gesta, bibliothecæ augmen addere decrevistis; quod cùm fideli vigilantis thesaurarii studio absolutum fuerit, sub præsidis tam munifici auspiciis, supellectili literariâ vacuum non fore speramus: cujus tanta est ubertas (Mayernii opulentiam superans) ut è penu suo alios ditare finè dispendio possit; Nili ad instar, qui dum fœcundat, ipse non minùs est fœcundus: cujus tanta in nos liberalitas, ut post tot dona jam collata plura expectare fas sit. Præfagit animus, imò nullus dubito, quin tempus fuerit, quo in nostris annalibus inter præcipuos benefactores Sloanii nomen resplendeat.

IMPRIMIS autem laude dignum est, (quoniam in publicum commodum cedit) quòd potestates concessas tam diligenter exercere censores soleant; dum medicamenta scrutantes inutilia, perniciofa discernunt à salutaribus, & (quod par est) vel laudant, vel perdunt: non obstante catervâ præstigatorum fortiter calumniantium, quorum summa ars est excogitare dolos, substituere adulterina  
 8 medica-

medicamina, vix speciosa, minimè vi æquipollentia, naturæ nec nota, nec amica. Hæc tamen *Φάρμακα λυγρὰ* inter vulgus saltem sunt spargenda, nisi vos curatores publicæ salutis contrà accingamini. Ne igitur languescite, ne vestra virtus sit anhela; sed potiùs enitimi concordes hæc bona nepotibus tradere: & quid non sperandum à sociis concordibus, a præside dignissimo, & cùm res nostræ vocant, semper parato? Nil adeò arduum erit, quod non vincat collegii vis unita. Amicitiam ergo colite, qualem fratres oportet colere, quam hodiernis epulis Harveius foveri iussit; satès sciens amicitiam sinè Cerere & Baccho sæpius frigescere. Quando vacat contendere, cum histrionibus contendite: histriones enim seu medicos latrocinantes, seu pharmacopœos veneficos debellare sit pulchrum. E contrà quisquis cum hisce sceleratis consilia agit, ægrum lædit, artémque prodit vir venalis.

ÆGROTIS pauperibus parcite, ne salutis pretium morbo sit gravius. Pauper lætus semper discedat, citiùs igitur sanandus. Artem vestram

stram omnimodè honestate, & ille honos vobis reddetur: qui autem artem vituperat, inscius artis habebitur; & dum contemnit, contemnetur.

CAVETE demum (utì circumspèctos homines decet) ne quid temerarium scientiam vestram, ne quid vile dignitatem, contaminet. Celebrati antecessores hæc gloriæ vias prementes, nostro collegio primum splendorem accenderunt; & hæc artes ejus famam in omnes dies florentem sustentabunt.

*F I N I S.*





